

nitatis etiam erectæ in Cathedrali decedentes non electa sepultura, sepeliendi sunt in Parochiali, et non in sepulchro a Societate in Cathedrali constructo, etiamsi adesset statutum approbatum ab Ordinario, quod in sepulchro Confraternitatis essent tumulandi, ut communiter tradunt Genuens. in praxi cap. 74, num. 6. Samuel de sepultur. disp. 5, contrav. 10, conclus. 1 et sequent. Sperell. decis. 87, num. 10 et alii, quos cumulat, et sequitur Panimoll. decis. 5, annot. 3, nu. 53. et Monacell. tom. 4, supplem. ad 2, t. n. 350.

(9. Officium super defunctis in Ecclesia, vel Oratorio Confraternitatis non exemptæ fit a Parocho, non a Capellano Confraternitatis; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Laudens. 20 Augusti 1601. (10. Et Sac. Congreg. Concilii in Regiensi in respons. ad octavum dubium, in quo quærebatur: « An Confraternitati competat facultas ibi sepeliendi cadavera absque ullo interventu Parochi, istique omnino denegando Jura Parochialia? » Cui dubio die 3 Jun. 1699 Sac. Congreg. censuit respondendum *negative*. Vide supra art. 2, sub num. 3. (11. Et sic etiam Sacra Congreg. Rituum in decretis generalibus relatis supra art. 2, num. 4, in responsione ad vigesimum dubium, in quo quærebatur: « An ad Parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpe dietis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? » Cui dubio die 10 Decembris 1703 Sac. Congreg. respondit *affirmative*, quando tumulandus est subditus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium; (12. Sacra tamen Congreg. Episcop. et Regular. in d. Laudensi 20 Aug. 1601 decrevit quod Parochus intervenire potest in funeribus, quæ fiunt in Ecclesiis Confraternitatum, licet defuncti non sint de sua Parochia. (13. Unde videntur concilianda hæc decreta hoc modo, scilicet quod decretum Sacræ Congregat. Rituum loquatur de Confraternitatibus exemptis, ut sunt Confraternitates Urbis, cum Romæ Confraternitates soleant esse exemptæ a Parochia; et decretum Sacræ Congregation. Episcop. et Regular. loquatur de Confraternitatibus non exemptis a Parochia. (14. Conceditur ex gratia Confraternitati, ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos Confratres ante infirmitatem, de qua decesserunt, in ea Confraternitate descriptos, de consensu hæredum, et sine præjudicio emolumentorum, quæ spectarent ad Capitulum, vel Parochum; Sac. Congreg. Episcop. et Regul. in Anconitana 19 Decemb. 1608, et docet praxis plurimis in locis recepta, quod Confratres sepeliuntur pacifice in suis respective Oratoriis, salvis tamen Juribus Parochialibus.

Hic addenda sunt ad rem decreta sequentia, et notabilia advertenda.

(15. Hæres Defuncti invitare potest numerum Sacerdotum, seu Sæcularium, seu Regularium, immo et Confraternitatum sibi bene visum; Sac. Congr. Episcop. et Reg. 5 Maji 1617.

(16. Hæres defuncti invitare possunt numerum Sacerdotum Sæcularium, aut Regularium, immo et Confraternitatum, sibi

bene visum, nec cogi possunt ad vocandum Capitulum, vel alios, sed solum Parochum, cui debetur duplum Eleemosynæ illius, quæ datur aliis Sacerdotibus simplicibus; Sac. Congr. Episc. et Regul. 17 Martii 1579, 11 Octobr. 1580, 24 Januar. 1581, 11 Januar. 1647 et 11 Decembr. 1649.

(17. An liceat in Ecclesia Confraternitatum habere Sepulchra, et respective possint cadavera tumulari absque licentia Parochi, et in præjudicium jurium Parochialium? Sacra Congregat. Concil. respondit: Licere habere sepulchra accedente licentia Episcopi, et posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura, absque licentia Parochi, sed salvis juribus Parochialibus, die 10 Maji 1727.

(18. An in sepulchro Confraternitatis in propria Ecclesia sito, sepeliendi sint Confratres, qui sine sepulturæ electione decedunt? Resp. *Negative* Sac. Congr. Conc. 13 Febr. 1666.

(19. An ad Parochum spectat facere Officium funebre super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? Res. *Affirmative*, quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia, vel Oratorium; S. R. C. 1 Decembr. 1603, approbante Clem. XI, die 12 Januar. 1704.

(20. An liceat Confraternitati Salutis sepelire in propria Ecclesia cadavera Confratrum et Consororum, qui ibidem elegerint sepulturam; et an ejusdem Capellanus absente Parocho valeat Officium, aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere; Sacra Congr. Conc. respondit: *Affirmative* quoad primam partem, quoad secundam *Negative*, nisi Parochus vocatus renuat, vel alium Sacerdotem non substituat; die 28 Julii 1724.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(21. Ex statuto a S. Sede confirmato possunt Confratres sepeliri in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis; Murg. disquisit. Canon. 1, tom. 1, tract 8, disquis. 2, sec. 2, dub. 25. Samuel de Sepultur. tract. 1, disp. 5, contrav. 10, conclus. 1. Amost. de Causis piis lib. 9, c. 8, n. 90. Bass. de sodalitat. quæst. 2, num. 5.

(22. Quæstionis vero est, utrum hoc in casu officium funebre super Cadaveribus facere spectet ad Capellanum Confraternitatis, an ad Parochum? (23. Porro ubi Confratres ex propria electione sepeliendi sunt in sepultura Ecclesiæ suæ Confraternitatis, dubium nullum esse potest, quin Parochi sit, et non Capellani Confraternitatis, officium funebre facere super Cadaveribus, quum actus ab electionis sepulturæ hoc Parocho præjudicium inferre nequeat; Marchett. de sepult. tit. 38, § 2, num. 64. Bass. de sodalit. quæst. 2, num. 5.

(24. At ubi Confratres sepeliri debent in Ecclesia suæ Confraternitatis ex mox dicto statuto a S. Sede confirmato, videndum quid dispositum de hoc sit in ipso statuto. (25. Nota vero, quod si statutum obscurum, vel ambiguum sit, ita interpretandum est, ut Parocho intactum maneat jus faciendi officium fune-

bre super Cadaveribus in ipsa Ecclesia Confraternitatis.

(26. Alia ad rem, vide verb. *Sepultur.* a n. 11 ad 14.

#### ARTICULUS VI.

Quoad varia alia Confraternitates concernentia.

(1. Confraternitates Ecclesiasticæ nequeunt alienare bona sine beneplacito Apostolico; Gratian. disceptat. 517, num. 7. et Marc. Anton. var. resol. l. 1, resol. 14, num. 7. Panimoll. decis. 12, annotat. 5, n. 40. Card. de Luca lib. 7, de alien. disc. 1, num. 11, et sequent. Rota decis. 502, num. 2, et sequent. coram Bichio, et in Urbanien. Archipresbyteratus 17 Maji 1697, num. 6 et sequent. coram Ansald. decis. 9, impres. Romæ; Sac. Congr. Rit. in una Civitatis Castellanae 2 Augusti 1644, et in Viterbien. 27 Julii 1647. (2. Immo requiritur beneplacitum Apostolicum in cessione honorum Confraternitatis, etiam in favorem alterius Ecclesiæ, ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii in Terracin. Capellanorum 20 Augusti 1701. (3. Et sic etiam requiritur beneplacitum Apostolicum pro Confraternitatibus, et Oratoriis laicorum erectis in Ecclesiis Regularium auctoritate Ecclesiastica; Sacra enim Congregatio Concilii in dubio alienationis rerum Ecclesiæ die 7 Augusti 1683: « An Superioribus Regularibus, qui hujusmodi Oratoriis præsent, liceat absque Solemnitatibus, et Apostolicæ Sedis beneplacito dicta mobilia, et supellectilia distrahere sine incurso pœnarum, quæ per Sacros Canones sunt præscriptæ adversus alienantes res Ecclesiæ? » respondit, *Negative*.

(4. Confraternitates autem mere Laicales, sicuti et Collegia mere Laicalia, licet ibi Opera Pia exerceantur, et proinde dicantur Loca Pia, possunt alienare res suas absque solemnitatibus; (5. Secus vero si sint loca auctoritate Ecclesiastica erecta, quamvis administrantur a Laicis, tamen bona subduntur prohibitioni Extravagantis *Ambitiosæ*, et de rebus Ecclesiæ non alienand. Barbosa de offic. et potest. Episcop. par. 3, alleg. 85, n. 31, et 32. Card. de Luca de alienat. prohib. disc. 1, num. 12, et disc. 60, num. 3, de Jurisdic. Rota decis. 58, num. 4, et sequent. apud Tondut. de pension. 313, num. 9, part. 10, decis. 248, num. 18, et sequent. part. 11, recent. Coccin. in Hortana Rectoriarum die 26. Jun. 1630, quæ 1900, et in Romana Censur. 1. Aprilis 1630. coram Bichio, quæ est decis. 502, et bene in Romana Laud. 4. Jul. 1694. § *emanavit* coram Cardin. Caprara inter quæ dec. 140. tom. 1. inter ejus impress. typis Lucen. anno 1725. ibi: « Inanis autem visa fuit oppositio, quia Collegium dicitur Locus Pius, utpote destinatum ad alendos Juvenes studiis incumbentes; nihilominus hæc sola qualitas satis non est, ut dicatur subjectum dispositioni Extravagant. *Ambitiosæ*, de rebus Ecclesiæ non alienand. sed ulterius requiritur, quod sit locus Ecclesiasticus, videlicet erectus auctoritate Ordinarii, vel aliis signis Ecclesiasticis. » (6. Hinc Confraternitates, et Societates, Conservatoria, Semina-

ria, Collegia, et hujusmodi, si sint erecta auctoritate Ordinarii, et sic sint Ecclesiastica, subjiciuntur d. Extrav. incip. *Ambitiosæ*; (7. Secus si non sint talia. (8. Unde Seminaria erecta in vim Concilii Tridentini, sunt loca Ecclesiastica, et eorum bona nequeunt alienari sine solemnitatibus, et beneplacito Apostolico; Sacra enim Congregatio Concilii in una *Salutarum* 20. Septembris 1642. ad secundum; An bona stabilia, Seminario in hæreditate relicta, postquam fuerint incorporata, possint alienari inconsulto Romano Pontifice pro solutione æris alieni, ab ipsa hæreditate debiti, absque incurso pœnarum; Censuit Non posse alienari. (9. Collegia vero Puerorum, et Alumnorum erecta absque auctoritate Ordinarii, etsi dicantur Loca Pia, non tamen sunt Ecclesiastica, et sic non subjiciuntur dict. Constitutioni *Ambitiosæ*, ut de Collegio Ghislerio Urbis, non esse Ecclesiasticum, et sic non subjacere dispositioni dictæ Extravagantis censuit Rota in dict. Romana Laud. 4. Julii 1692, coram Cardin. Caprara. (10. Sic Collegia Artificum, et Universitates Professorum, cum non sint loca Ecclesiastica, non subjacent Extravaganti, *Ambitiosæ*, Rota dec. 832, et 872, coram Merlino, licet habeant Capellam pro eorum usu tantum; Et sic in Urbe sunt subjecta Senatori; Card. de Luca disc. 8, de alienat. prohib. num. 6. Mons vero Misericordiæ Civitatis Neapolis petiit beneplacitum Apostolicum pro alienatione Domus; (11. Sac. Congr. Concilii, in Neapolitana Beneplaciti 31 Julii, et 18 Decembris 1706.

(12. Confraternitates Laicorum approbatæ, et eorum Capellani possunt facere solitas Processiones, quando non fiunt in Parochiali, et in primaria Ecclesia; Sac. Congr. Rit. in Melit. Galatri 9. Febr. 1608. (13. Confraternitatum Processiones non debent extendi per vias, sed circa muros Regularium, qui eas regunt; extra vero ambitum Ecclesiæ non licet neque Regularibus neque Confraternitatibus facere processiones, nisi de licentia, consensu, aut cum Cruce Parochi, exceptis tamen illis Ecclesiis, quæ habent in hoc speciale privilegium; Sac. Congr. Rit. in Hispanen. 26 Febr. 1628, et in Limana 15. Decemb. 1632. (14. In Processionibus peragendis extra ambitum Ecclesiarum, in expositione Eucharistiæ, benedictione solemniter super populum, aliisque similibus quoties interveniat licentia Ordinarii, Parochus non potest se opponere, ne a Capellanis, et Officialibus Confraternitatum fiant, quia animarum Cura, et populi directio principaliter incumbit Episcopo, qui est Parochus Parochorum; Sacra Congregat. Concil. in Savonen. 12. Februar. 1689. (15. Confraternitates Laicorum in Processionibus procedere, et præcedere debent inter se juxta Bullam Gregorii XIII. incip. *Exposcit*; Sic S. Congr. Rit. in Nepesina 10. Maji 1608, et in Thelesina 19. Martii 1611. (16. Unde Confraternitas, quæ prius saccum induit, præcedere debet aliis, quæ postea induerunt; Sac. Congr. Rit. in Sorana 7. Augusti 1528, et in S. Severinæ Præcedentiæ 24. Septem. 1712. (17. Excipi-



tur tamen Confraternitas Sanctissimi Sacramenti, cui debetur præcedentia supra omnes alias Confraternitates in illis Processionibus, in quibus defertur Sanctissimum Sacramentum, pro ut declaravit Sacra Congreg. Rit. in Vercellen. 18. Jun. 1695, in Cremon. 3. Augusti 1697. (18. In aliis vero Processionibus Confraternitas Sanctissimi Sacramenti debet procedere, et præcedere juxta suam antianitatem sicuti cæteræ aliæ; Sac. Congr. Rit. in Laudan. 18. Julii 1628, et Nullius 30. Septembris ejusdem anni 1628. (19. Jus præcedentiæ non attenditur in regressu a Processionibus; Eadem Sac. Congr. Rit. in Vercellensi 18. Jun. 1695. (20. Confratres ad conveniendum solitis Processionibus compellere potest Episcopus sub pœnis ejus arbitrio imponendis stante possessione illos vocandi per Edicta; Sac. Cong. Con. 21. Januar. 1622. et 8. Maji 1627. vid. sup. Art. 3, num. 14 et 15. (21. Confraternitates Episcopo assentiente possunt statuta condere; Sacra Congr. Conc. in Ulissiponen. 2. Junii 1690, et hoc illis expresse conceditur in cit. Constit. Clement. VIII. incip. *Quæcumque*. (22. Statuta autem confirmare nemo potest invito, vel inconsulto Episcopo, sed ad ipsum privative, quod ad alios spectat; Sac. Congregatio Rit. in Elborren. 7. Octobr. 1617. (23. Confraternitas legitime, ut moris est, intimata, et coadunata poterit determinare, et resolutionem capere, etiamsi non interveniant duæ ex tribus partibus, aut major pars Confratrum; nam major pars Universitatis, Collegii, seu Capituli constituitur per præsentem, non habita ratione absentium; Rota coram Burat. dec. 573, n. 22, et coram Cels. dec. 85, n. 9. impressa apud Tondut. qu. Benefic. tom. 2, part. 3, cap. 137, num. 56, dummodo tamen non adsit statutum, quod aliud determinet. (24. Confraternitates erigere possunt, et ampliare suas Ecclesias, vel Oratoria sine præjudicio Jurium Parochialium, non tamen mutare titulum; Sacra Congr. Episcop. et Regul. in Bononien. 13. Maji 1603, in Sorana 9. Septembr. 1635. (25. Confraternitates possunt eleemosynas quærere secundum suum institutum; Sacra Congregat. Episcop. et Regul. in Viterbien. 25. Maji 1601. (26. Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter et expresse vocentur; Sac. Congr. Rit. in Bonon. 9. Decemb. 1617. (27. Confraternitates sæcularium funera associantium, de intorticiis, seu cereis, quartam funeralem Parochis non debent; Sac. Congregat. Episc. et Regul. in Firmana 5. Martii 1616. (28. Habitus mutatio non debet Confraternitatibus de facili indulgeri; Sac. Congr. Episcop. et Regul. in Anconitana 20. Febr. 1601. (29. Si Confraternitates ejusdem loci deferunt eundem Saccum distingui debent addito aliquo coloris signo; Sacra Congregatio Episc. et Regul. in Novarien. 13. Maji 1586. (30. Confraternitates quædam, quæ extra Urbem sunt, et dependent a Capitulo Sancti Joannis Laterani, vel S. Petri vel S. Sebastiani, subduntur Ordinariis, ac Rectoribus Ecclesiarum; Pius IV. Constit. 57. incip. *Regimini*.

(31. Inter Confraternitates laicorum illa præcedit, quæ est in possessione præcedendi: et cum nihil ea de re constet, præcedere illa debet, quæ prius saccis induta est, ut ex Constitut. 84 Gregorii XIII constat; et Bened. XIV. Instit. Eccles. 105, n. 34.

(32. Sed in Processionibus, in quibus defertur SS. Eucharistia, Confraternitas SS. Sacramenti si sacco induatur, præcedit cæteras, ut decisum in Rota Romana; ibid. n. 85.

## CONSTANTIENSE

*Decretum.*

(33. « Cum experientia compertum sit, nonnullas SS. Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat ordinarij, irrequisito Magistro Generali Fratrum Ordinis Prædicatorum erigi, ac pro illis Apostolicum Breve cum Indulgentiis, cuicumque Confraternitati canonice erectæ, sive erigendæ, generaliter concedi consuetis expediri; nonnulli extra Urbem, ac præcipue quidam Ecclesiastici viri, et sanguinis nobilitate, et morum probitate insignes ex Diœcesi Constantien. recte dubitarunt, num hujusmodi Confraternitates canonicæ reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia a Sacra Congregatione Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præposita decidenda fuerunt exhibita; Primo: An si inscio Patre Generali Ordinis Prædicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, Confratres reipsa fruantur Indulgentiis in Breve Apostolico per eosdem obtento expressis? Et quatenus Affirmative. Secundo: An fruantur etiam aliis Indulgentiis in dicto Breve Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctiss. Rosarii, a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis mensuris, aut aliis, diebus? Hisce autem dubiis Sacra eadem Congregatio die 19. Augusti 1747. rationum momentis serio, matureque perpensis, respondendum esse censuit; ad utrumque Negative. De quibus omnibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium die 26 prædicti Mensis SS. D. N. Benedicto PP. XIV relatione, Sanctitas Sua ipsomet votum, benigne approbando, confirmavit. Ne tamen hujusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis, magisque illarum Confratrum, et Confratorum devotio potius augeatur, omnes, et singulas uniuscujusque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in præfata Constantiensi Diœcesi, inscio Magistro Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali hætenus factas, Motu proprio, ac de plenitudine suæ Apostolicæ potestatis sanavit, ac validas esse declaravit; Immo prædictæ Diœcesis Constantien. Populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam moderno ejusdem Ordinis Prædicatorum Magistro Generali humillime supplicante iisdem Confraternitatibus sic erectis, præter Indulgentias in respectivo earum obtento Breve expressas, etiam omnes, et singulas alias

Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis S. Pii V die 25 Junii 1569. *Inter desiderabilia*, canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas, clementer indulsit. In posterum tamen, ut quodcumque dubium, et quævis abusus, aut molestiæ, vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus Dominus Noster de Apostolicæ pariter plenitudine potestatis voluit, et expresse mandavit, quod non aliter Confraternitates, seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius, et obtenti, juxta formam a Sancto Pio V in præallegato Breve præscriptam, a Magistro laudati Ordinis Prædicatorum pro tempore existente Generali literis facultativis, ut alias a Sacra Rituum Congregatione die 9 Aprilis resolutum fuit, et ab Auditore Generali Sacræ Apostolicæ Camerae in consimili causa anno 1663, per sententiam definitum. Sæpeditus vero Magister Generalis pro hujusmodi Confraternitatum erectione consuetas literas Sacerdotibus sui Ordinis, vel ubi horum Conventus non existat, aliis Ecclesiasticis personis, sive Regularibus, sive Sæcularibus, etiam Episcopo benevisis expediet, ipsæque literæ, non nisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in hujusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executioni mandentur.

« Fr. F. Cardinalis Portocarrero.

« Loco ✕ Sigilli.

« A. M. Erba Protonotarius Apost. Secret. »

« Ita ex Regestis Decretorum ejusdem Sacræ Congregationis, etc. In quorum fidem, etc. Datum Romæ die 1 Sept. 1737.

« A. M. Erba Protonotarius Apost. Secret.

« A. M. Succi Substitutus. »

Advertendum est, quod Constitutio Benedicti XIII. incip. *Ex quo Sedes Apostolica* a me superius adducta suum non est sortita effectum, ex quo una cum aliis moderata, et reducta fuerit ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, et Constitutionum Apostolicarum a Clemente VII. Const. incip. *Romanus Pontifex* a me ad literam data sub verb. *Privilegium* art. 4, in fine.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

De Officio funebri super Cadaveribus Confratrum in Ecclesia Confraternitatis, libet aliqua hic addere.

(34. Si disseratur de Cadaveribus Confratrum, qui haud sunt de Parochia, ubi sita est Ecclesia Confraternitatis, dubiam esse haud potest, quin ipsi Confraternitati excluso Parocho jus sit officium funebre faciendi. Officium enim funebre inter jura parochialia tunc recenseri potest, quum defunctus in Parochia tumulandus eidem Parochiæ sit subjectus; Marant. Respons. 22 fer. per tot. et signanter n. 34, part. 4; Murg. disquisit. Canon. tom.

1, tract. 7, disquis. 6, dub. 1, n. 13; idque ex ratione illa, quod jus funeris est accessorium quid ad Sacramentum administrationem. Parochus autem jus tantummodo habet Sacramenta Parochianis suis administrandi, et consequenter respectu ipsorum, et non aliorum jus funeris habere debet; Maranta loco mox citato, n. 18 et seq.

(35. At si agatur de Cadaveribus Confratrum, qui subjecti sunt Parochiæ, in qua Ecclesia Confraternitatis posita est, quidquid olim senserit Rota coram Coccin. dec. 289. per tot. hodie post decreta generalia anni 1703. Sac. Cong. Rituum, in controversa res est, quod spectat ad Parochum facere super iis officium funebre; Dubio enim 23: « An ad Parochum spectet facere officium funebre super Cadaveribus in sæpeditis Ecclesiis, et Oratoriis publicis Confraternitatum? » respondit mox dicta Sac. Congreg. « *Affirmative* quando tumulandus est subjectus Parocho, intra cujus fines est Ecclesia vel Oratorium. »

(36. Potest tamen jus hoc faciendi funebre officium super hisce Cadaveribus spectare ad ipsorum Confraternitatem ex peculiaribus Conventionibus a S. Sede confirmatis, ut in terminis Ecclesiæ Confraternitatis positæ in ipsa Ecclesia Parochiali dixit Rota in Neapolitana quarto Dubio 23 Junii 1760. § 3, coram R. P. D. Frangipane.

(37. Dubium vero haud leve hinc oritur, an in funebri hoc officio Confraternitas propriam crucem elevare queat, ejusque Capellano permitti possit delatio Pluvialis et Stolæ. In Affirmativam autem sententiam ivit idem Sacrum Tribunal in d. Neapolitana super quarto Dubio 23 Junii 1760. § 7, coram R. P. D. Frangipane. Et merito. Etenim Officium funebre ex Ecclesiæ ritu sine hisce fieri nequit. Concesso igitur jure faciendi officium Funebre, concessa et ipsa dici debent.

## ALIE ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(38. De mutatione statutorum Confraternitatum frequentes in Foro questiones sunt. (39. Regula vero est, quod possit Ordinarius ea mutare; Monacell. in formul. Jur. Eccles. part. 21, adnot. ad form. 1, n. 49. Bass. de sodalit. q. 4, n. 1.

(40. Dubitatur autem, an hæc ipsa facultas Ordinario competat, quoad statuta condita in vim contractus? Negat Rota cor. Duran. dec. 291, n. 37, ubi simul explicat quando statuta condita dicantur in vim contractus.

(41. Dubitatur etiam, an Ordinarius valeat mutare statuta a S. Sede confirmata? Negat. Bass. de sodalit., dict. quæst. 4, n. 1, ubi quod ita quoque sensit Sac. Congregatio Episcoporum. et Regularium negotiis præposita in Astorican. 17 Febr. 1603. tum Rota cor. Duran. dict. dec. 291, n. 41.

(42. De statutis, ne quis admittatur



msi aliquid solvat, ne Confrater possit Confratrem in jus vocare, ne adscribatur quis in altera Confraternitate, et aliis id

### CONFUSIO PRO ACQUIRENDO RERUM DOMINIO

Vide verb. DOMINIUM, art. 3, a num. 105, 110.

### CONGREGATIONES ECCLESIASTICÆ ROMANÆ.

#### ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

#### SUMMARIUM.

1. Semper ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Roman. Pontificem de rebus gravioribus in illis occurrentibus relatum est. — 2. Origo Roman. Congregationum. — 3. Earum præstantia. — 4. Et auctoritas. — 5. De Congregatione Consistoriali, seu Consistorii Consultrice. — 6. Bulla Institutionis. — 7. Ejus munera. — 8. Congregatio Inquisitionis. *Remissive*. — 9. Congregatio Indicis librorum prohibitorum. — 10. Afferuntur nonnulla exempla damnationis librorum. — 11. Index librorum prohibitorum. — 12. Bulla Institutionis. — 13. Ex quibus constat hæc Congregatio. — 14. Ejusque munera. — 15. Bulla Benedicti XIV. — 16. De aliis. *Remissive*. — 17. De Congregatione SS. Rituum. — 18. Bulla Institutionis. — 19. Quomodo dividatur hæc Congregatio. — 20. De Congregatione extraordinaria. *Remissive*. — 21. Ordinariæ Congregationis munera. — 22. De aliis *Remissive*. — 23. De Congregationis Immunitatis institutione. — 24. Ex quibus constat. — 25. Hujus Congregationis officia. — 26. De origine Congregationis Rev. Fabricæ. — 27. Rev. Fa-

(1. Cum Christus Dominus Beato Petro ejusque in Pontificatu successoribus curam commisisset *Fratres in fide confirmandi*, semper ex ipsis Ecclesiæ incunabulis ab omnibus Ecclesiis particularibus ad Rom. Antistitem relatum est de rebus gravioribus in illis occurrentibus. Cujus rei in primis indubitam reddunt fidem epistola Corinthiorum Ecclesiæ ad Clementem Rom. Episcopum sæculo primo exeunte, ipsiusque Clementis literæ auctoritatis plenissimæ illis reddite, uti testantur S. Irenæus 1, 3 advers. Hæres. c. 3; S. Epiphanius hæres. 27, et D. Hieronymus 1. de viris illustribus, c. 15. Sæculo vero II. S. Polycarpus Romam venit, ut ageret cum Aniceto de Paschatis celebratione, et Martyres Lugdunenses Irenæum ejusdem Ecclesiæ Presbyterum ad Eleutherium miserunt ob quasdam Ecclesiæ quæstiones. Hieronymus de Scriptor. Eccles. cap. 35., et Beda Hist. Anglor. lib. 1, c. 4. Sæculo III. S. Cyprianus in quæstione de lapsis scripsit ad Fabianum et Cornelium, uti videre licet in ejusdem epistolis. Et S. Hieronymus testatur, Orientalium et Occidentalium Episcoporum consultationes affluere in Pontificatu S. Damasi his verbis: « Cum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romanæ Urbis Episcopum, et Orientis, atque Occidentis consultationibus responderem. Epist. XI. » Et ut cætera prætermittam, præclarissimum est testimonium Innocentii I. in sua epistola ad Concilium Milevitanum, cum ipsius Synodi Patres laudat, quod custo-

genus peculiaribus statutis quid sentiendum sit, vide Bass. de sodalit. dict 4, n. 2, ad fin.

bricæ munia. — 28. Benedicti XIV statuta quoad hæc Congregationem. — 29. Ipsius Congregationis resolutiones. — 30. Et edicta. — 31. Interpretatio Constitutionis Gregorii XVI. — 32. Objectiones contra hujus Congregationis privilegia. — 33. Origo Congregationis Concilii. — 34. Testimonia antiquitatis ad vindicandum Pontifici jus inquirendi in Canonum observantia afferuntur. — 35. Erectio hujus Congregationis. — 36. An Pontifex deputando Cardinales contra Concilii Tridentini mentem egit. — 37. Cong. Conc. Officia. — 38. Et Officiales. — 39. Congregatio Prælatorum Congregationi Cardinalium Concilii interpretum adjecta. — 40. Bulla Institutionis. — 41. Congregatio Episcoporum et Regularium. — 42. Ex quibus constat hæc Congregatio. — 43. Hujus Congregationis munia. — 44. Congregatio de Disciplina. — 45. Constitutio Innoc. XII. — 46. Constitutio Pii VI. — 47. Congregatio Propagandæ Fidei. — 48. Ejusque Collegium. — 49. Ex quibus componitur. — 50. Munia ejusdem Congregationis. — 51. Congregatio Indulgentiarum. — 52. Bulla Clementis IX. — 53. Jurisdictio hujus Congregationis. — 54. Alia de Congregationibus. *Remissive*.

diendo: « Patrum instituta, quæ illi non humana, sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius duccerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate, juxta quæ fuerit pronuntiatio, firmaretur; indeque sumerent cætera Ecclesiæ, quid præcipere et quid vitare deberent; » inter Oper. S. August. tom. 11, pag. 620, 639. edit. Maur. Par. an. 1679. S. Avitus Archiepiscopus Viennensis epist. 32, edit. Sirmond. hæc habet: « Scitis Synodaliū legum esse, ut in rebus quæ ad Ecclesiæ statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Ecclesiæ summum Sacerdotium, quasi ad caput nostrum membra sequentia recurramus. » Episcopi Africani demum in Epistola synodica ad Pontificem Theodororum sæculo VII ita loquuntur: « Antiquis Regulis sancitum est, ut quidquid, quamvis in remotis, vel in longinquis positus ageretur Provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum. » Et idipsum clarissime patet ex innumeris Pontificum Rom. decretalibus, seu epistolis, quibus variis consultationibus Orbis universi rescribatur. (2. Et postremis hisce sæculis tanto excrevit Consultationum Quæstionumque multitudo, ut necesse fuit varias instituere Cardinalium Congregationes, cui propositis dubiis, respondendi munus committeretur. (3. Aliquid tamen generatim præmittere oportet de

talium Congregationum auctoritate, præstantiam antequam de illis speciatim dicere aggrediamur. Et quia nonnulli inconsiderate spernunt Sac. Congregationum decisiones, quasi nullius sint momenti, non at re erit præstantissimi viri acatholici sententiam in medium adducere, ex qua clare appareat quanta reverentia et observantia Rom. Congregationum decreta suscipienda sint. Clarissimus ergo Leibnitiū in epistola quasdam ad P. de Basses Soc. Jes. hæc habet: « Gratum erit, si subinde me doceas, quæ in vestro Ordine, aut alias in re litteraria, præsertim sacra, philosophicaque gerantur; et utile esset discere quæ Romæ decernantur in Congregationibus, velut Rituum, Inquisitionis, Indicis, etc., nam talia a me minime spernuntur. » Leib. Opera omnia edit. de Turnes. Tom. 2, part. 1, p. 276.

(4. Omnis tamen vis et auctoritas quam Sac. Congreg. decreta sibi vindicant pendet a plenitudine potestatis Pontificis in condendo novas leges et eas interpretando; de qua satis supra diximus. Propterea illius nomine ejusdemque auctoritati innixæ Sac. Congregationes, omnibus fidelium, quantumvis remotissimis, consilia præbent, dubia resolvunt, lites contentionesque componunt, gratias ac privilegia impertiunt, eorumque consultationibus respondent. Et hæc est differentia inter illorum cæterorumque doctorum responsa, quod privati doctores legem non constituent, dum Sac. Congregationum decreta omnino dirimunt quæstionem; et cum potestate legislativa innitantur, eorum interpretationes faciunt jus commune t. 12, de LL. et t. 35, 36, 37, ff. de LL. Ut vero talia decreta vim legis habeant quatuor conditiones requiruntur. 1. Ut constet sufficienter quod sint declarationes Sac. Congregationis, propterea munitæ sigillo authentico Congregationis, et signatæ ab ejusdem Secretario et a Cardinali Præfecto esse debent. Nam Sac. Congreg. Conc. de commissione Urbani VIII, an. 1631, mandavit et præcepit « hujusmodi Declarationibus, tam impressis et imprimendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio vel extra a quoquam adhibendam, sed tantum illis quæ in authentica forma, solito Sigillo, et subscriptione Emin. Cardinalis Præfecti et Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem, » etc. *Datum Romæ die 2 Augusti 1631.* Ita refert Barbosa lib. 1. Juris Eccles. univ. cap. 4, n. 83. 2. Ut referatur in ipsa declaratione, fuisse pronunciata consulto Pontifice; nam sic statuit Sixtus V. Constit. 74, tom. 2, Bullar. magni. 3. Ut Cardinales solum declarent et interpretentur, non vero disponant aut dispensent, aut restringant, aut amplient ultra vim verborum et regulas juris. Torreblanc. in prat. jur. Eccl. lib. 14, c. 3, n. 19. Merolla in disput. Theolog. tom. 2, disp. 4, cap. 4, dub. 12, num. 173. Hæc speciatim pertinent ad Congregationem S. Concilii Tridentini interpretis, de qua vide etiam Fagnan. in cap. *Quoniam* de constit. in prima

parte 1. lib. Decret. Card. de Luca in adnot. ad Concil. Trid. disp. 1, n. 17. Schenkl Institut. juris eccles. ex edit. Scheilii an. 1830, cap. 7. De aliis Congregationibus vide Schmalzgrueber dissert. Præm. § 9, n. 373, seq. Si vero declarationes Congregationis sunt extensivæ, scilicet si egrediuntur a simplici interpretatione, et ultra id quod legum verba proprie denotant, aliquid concedant, prohibeant, dispensent, etc., non habent vim legis, nisi fiant ex speciali mandato Papæ; quomodo sunt decreta Congreg. S. Concilii Tridentini jussu Urbani VIII de alienatione rerum temporalium ad monasteria, etc., pertinentium 7 Sept. 1624, edita. Ergo decreta SS. Congregationum cum necessariis habeant conditiones constituunt *rem judicatam*; et habentur pro apostolicis Constitutionibus, cum apprehantur a Romano Pontifice; editaque in particularibus casibus, constituunt legem pro rebus similibus. Demum novissima derogant prioribus, cum contradictoria reperiuntur, et nullam posterius vim habent, cum deficiat fundamentum quo innitebantur. De Congregationum auctoritate Sede Vacante vide Auctor. verb. *Cardinal.* art. 5, num. 43 pag. 235, nos. *Edit.*

#### CONGREGATIO CONSISTORIALIS.

(5. Variæ sunt Congregationes, et aliæ quidem ordinariæ, aliæ extraordinariæ, quæ scilicet ad Pontificis beneplacitum convocantur, et finita causa, qua convocata fuerant, cessant pariter. Nos, omissis cæteris extraordinariis Congregationibus, loquemur in primis de Consistoriali, sed Consistorii Consultrice. Hæc enim ordinaria et extraordinaria nuncupari potest: ordinaria, quia semper constituta ex aliquo determinato numero personarum; extraordinaria vero, quia congregatur ad beneplacitum Pontificis. Nam cum sæpe, ut loquitur Cardinalis de Luca, in plerisque actibus qui in Consistorio coram Pontifice agitantur, interessati oppositores adesse soleant, adeo ut disputationem contentiosam habere oporteat, cumque talis forma ad servandam Consistorii majestatem ab illo excludatur, statuta fuit particularis Congregatio, quæ pararet negotia in Consistorio tractanda.

(6. Hæc Congregatio ordinata fuit a Sixto V, in sua Constitutione CXVII.

#### SIXTUS EPISCOPUS

#### SERVUS SERVORUM DEI

#### Ad perpetuam rei memoriam.

« Immensa æterni Dei omnium opifex sapientia a fine usque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordia nexu copulavit suaviterque disposuit, ut vicissim ad suorum se munerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublevarent. Ipsa in Cœlesti Hierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de divinæ providentiæ rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiæ, quæ triumphantis illius imago est, corpus